



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Art. II. De Multitudine, & Diversitate Angelorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

ARTICULUS II.

De Multitudine & Diversitate Angelorum.

I. Q. 1. *Quàm multi sint Angeli à Deo creati?* Resp. hanc rem incertam esse; plurimos tamen creatos esse, constat sat clarè ex illo textu Daniel. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Plures verò esse creatos, quàm Homines de facto existant, vel existuri sint, communius docent Authores, & tum ex parabola ovis perditæ & inventæ Luc. 15. tum ex quadam revelatione S. Birgittæ; tum denique ex ipsa Custodia Angelorum colligunt; cum enim hi ordinariè ex infima Hierarchia assumantur, & cuivis homini unus duntaxat ac diversus Angelus assignetur, hoc ipso, quos Superiores Hierarchiæ constitunt, tot partibus minimùm multitudinem hominum superare debent Angeli; licet non defuerint, qui existimaverunt, pauciores esse Angelos quàm Homines, eò quòd Apoc. 12. Draco tertiam partem stellarum traxisse dicatur, quæ per homines prædestinatos reparanda sit, atque adeò Angelis duabus duntaxat partibus excedant multitudinem prædestinatorum, numerus autem reproborum hominum haud dubiè plùs, quàm duplo excedat numerum prædestinatorum.

II. Q. 2. *Quomodo differant Angeli ratione officiorum?* Resp. eos in tres Hierarchias dividi, in quarum prima Seraphin, Cherubin, & Throni: in secunda Dominiones, Virtutes, Potestates: in tertia Principatus, Archangeli, Angeli collocentur, quæ quidem in hoc præcipuè differunt, quòd prima ad assistendum Deo, secunda ad ministrandum per modum imperii ac directionis, tertia ad ministrandum per executionem ordinata sit.

III. Q. 3. *Quomodo Angeli quoad essentiam differant?* Resp. juxta S. Thomam quidem & Thomistas, omnes Angelos specie differre; communiorem tamen esse sententiam, quòd aliqui duntaxat specie, reliqui verò solo numero differant, sic enim faciliùs ostenditur, quomodo Deus, ut in corporeis rebus nullam unquam speciem integram destruxit, ita nec in Angelis id fecerit.